



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De gula, qu[a]e opponitur ieiunio. Quæstio 148.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

& multiplicatio spirituum cito transit: sed substantia humoris diu manet. Et ideo magis interdicitur ieiunantibus esus carniū, quā vini vel leguminū, quæ sunt inflatiua.

Ad secundum dicendum, quod Ecclesia ieiunium instituens intendit ad id quod communius accidit. Esus autem carniū est magis delectabilis communiter, quā esus pisciū: quamuis in quibusdam aliter se habeat. Et ideo Ecclesia magis ieiunantibus prohibuit esum carniū, quā esum pisciū.

Ad tertium dicendum, quod oua & lacticia ieiunantibus interdiciuntur in quantum sunt ex animalibus exorta carnes habentibus. Vnde principalius interdiciuntur carnes, quā oua, vel lacticia. Similiter etiam inter alia ieiunia solemnius est quadragesimale ieiunium: tum quia obseruatur ad imitationem Christi, tum etiam quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostræ mysteria deuotè celebranda: & ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carniū. In ieiunio autem quadragesimali interdiciuntur vniuersaliter etiam oua & lacticia. Circa quorum abstinentiam in alijs ieiunijs diuersæ consuetudines existunt apud diuersos, quas quisque obseruare debet secundum morem eorum, inter quos conuersatur. Vnde Hieron. * dicit de ieiunijs loquens, Vnaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.

*in ep. ad
Luci. qua
inci. Nec
opinanti
miki, ir.
fin. fo. 1.*

QVÆST. CXLVIII.

De gula, in sex articulos diuisa.

¶ Deinde considerandum est de gula.

¶ Et circa hoc quærentur sex.

- ¶ Primo, vtrum gula sit peccatum?
- ¶ Secundo, vtrum sit peccatum mortale?
- ¶ Tertio, vtrum sit maximum peccatorum?
- ¶ Quarto, de speciebus eius.
- ¶ Quinto, vtrum sit vitium capitale?
- ¶ Sexto, de filiabus eius.

Vtrum gula sit peccatum?

714 **A**D primum sic proceditur. Videtur, quòd gula non sit peccatum. Dicit enim Dominus Matth. 15. Quod intrat in os, non coinquinat hominem. Sed gula est circa cibos qui intrant in hominem. Cum ergo omne peccatum coinquinat hominem, videtur quòd gula non sit peccatum.

¶ 2 Præterea. Nullus peccat in eo, quod vitare non potest. Sed gula consistit in immoderantia cibi, quam non potest homo vitare. Dicit enim * Greg. 30. Mor. Quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, & quid voluptas suppetat, ignoratur. Et * Aug. dicit in 10. confess. Quis est Domine, qui aliquantulum extra meras necessitatis cibum non sumit? Ergo gula non est peccatum.

¶ 3 Præterea, in quolibet genere peccati primus motus est peccatum. Sed primus motus sumendi cibum non est peccatum, alioquin fames & sitis essent peccata. Ergo gula non est peccatum.

S E D contra est, quòd * Greg. 30. Mor. dicit, quòd ad conflictum spiritualis agonis non assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gula videlicet appetitus, edomatur. Sed interior hostis hominis est peccatum. Ergo gula est peccatum.

R E S P O N D E O dicendum, quòd gula nominat quemlibet appetitum edendi & bibendi, sed inordinatum. Dicitur autem appetitus inordinatus eo, quòd recedit ab ordine rationis, in quo bonitas virtutis moralis consistit. Ex hoc autem dicitur quid esse peccatum, quòd virtuti contrariatur, hoc manifestum est, quòd gula est peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quòd id quod intrat in hominem per modum cibi, secundum suam substantiam & naturam, non coinquinat hominem spiritually. Sed Iudæi, contra quos Dominus loquitur, & Machabei, opinabantur quòd aliqui cibi immunos facerent, non propter figuram, sed propter propriam naturam.

Inor-

Inordinata autem ciborum concupiscentia spiritualiter hominem coinquinat.

Ad secundum dicendum, quod sicut * dictum est, *in corpore* vitium gulæ non consistit in substantia cibi, sed in concupiscentia non regulata ratione. Et ideo si aliquis excedat in quantitate cibi non propter concupiscentiam cibi, sed æstimans id sibi necessarium esse, non pertinet hoc ad gulam, sed ad aliquam imperitiam. Sed hoc solum pertinet ad gulam, quod aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedat mensuram in edendo.

Ad tertium dicendum, quod duplex est appetitus. Vnus quidem naturalis, qui pertinet ad vires animæ vegetabilis in quibus non potest esse virtus & vitium, eo quod non possunt subijci rationi. Unde & vis appetitiva dividitur contra retentivam, digestivam & expulsivam. Et ad talem appetitum pertinet esuries & sitis. Est autem & alius appetitus sensitivus, in cuius concupiscentia vitium gulæ consistit. Unde primus motus gulæ importat inordinationem in appetitu sensitivo, quæ non est sine peccato.

ARTIC. II.

Utum gula sit peccatum mortale?

715

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod gula non sit peccatum mortale. Omne enim peccatum mortale contrariatur alicui præcepto decalogi: quod de gula non videtur. Ergo gula non est peccatum mortale.

*inf 9. 154
a 2. ad 6
Mal.
9. 14 a. 2*

¶ 2 Præterea, Omne peccatum mortale contrariatur charitati, ut ex * supra dictis patet. Sed gula non opponitur charitati, neque quantum ad dilectionem Dei, neque quantum ad dilectionem proximi. Ergo gula nunquam est peccatum mortale.

*Ro. 13
le. 3. cor.
4 et Gal.
5 le. 4. 20.
2. sin.*

¶ 3 Præterea, August. † dicit in sermone de purgatorio, Quotiens aliquis in cibo aut potu plus accipit quam necesse est, ad minuta peccata pertinere nouerit. Sed hoc pertinet ad gulam. Ergo gula computatur inter minuta, id est, inter venialia peccata.

** qu. 132.
ars. 3.
† serm. 4.
ante me.
10. 10.*

Sec. Sec. Vol. iij.

P

S E D

c. 26. cir. med.

SED contra est, quod * Gregor. dicit in 10. Moral. Dominante gulæ vitio, omne quod homines fortiter egerunt, perdunt; & dum venter non restringitur, simul cunctæ virtutes obruuntur. Sed virtus non tollitur nisi per peccatum mortale. Ergo gula est peccatum mortale.

ar. 1. hinc ins quæst.

RESPONDEO dicendum, quod sicut * dictum est, vitium gulæ proprie consistit in concupiscentia inordinata. Ordo autem rationis concupiscentiam ordinantis dupliciter tolli potest. Vno modo, quantum ad ea quæ sunt ad finem, prout scilicet non sunt ita commensurata, ut sint proportionata fini. Alio modo quantum ad ipsum finem, prout scilicet concupiscentia hominem auertit à fine debito. Si ergo inordinatio concupiscentiæ accipiatur in gula secundum auersionem à fine ultimo, sic gula erit peccatum mortale. Quod quidem contingit, quando delectationi gulæ inhæret homo, tanquam fini propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes huiusmodi sequatur. Si verò in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantum secundum ea quæ sunt ad finem, ut pote quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita, quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei: est peccatum veniale.

Ad primum ergo dicendum, quod vitium gulæ habet quod sit peccatum mortale, in quantum auertit à fine ultimo: & secundum hoc per quamdam reductionem opponitur præcepto de sanctificatione sabbathi, in quo præcipitur quies in fine ultimo. Non enim omnia peccata mortalia directe contrariantur præceptis decalogi, sed solum illa quæ iustitiam continent: quia præcepta decalogi specialiter pertinent ad iustitiam & partes eius, ut supra habitum est.

q 122. a. 2.

Ad secundum dicendum, quod in quantum auertit à fine vicino, contrariatur gula dilectioni Dei, qui est super omnia, sicut finis ultimus, diligendus. Et secundum.

secundum hoc solum gula est peccatum mortale.

Ad tertium dicendum, quod illud verbum August. intelligitur de gula, in quantum importat ordinacionem concupiscentie solum circa ea que sunt ad fine.

Ad quartum dicendum, quod gula dicitur virtutes auferre, non tam propter se, quam etiam propter vicia que ex ea oriuntur. Dicit enim * Gregor. in Pasto- rali, Dum venter per ingluuiem tenditur, virtutes anima per luxuriam destruantur.

p. 3. c. 20. paulo post princ.

ARTIC. III.

Utrum gula sit maximum peccatorum?

716

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod gula sit maximum peccatorum. Magnitudo enim peccati ex magnitudine pena consideratur. Sed peccatum gula est grauissimum puniunt. Dicit enim * Chrys. Adam + intemperantia ventris expulit a Para- diso. Diluuium quod fuit tempore Noe, ipsa fecit: & penam Sodomorum, secundum illud Eze. 16 Hec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, saturitas panis & vini. Ergo peccatum gula est maximum pecca- torum.

* ho. 13. in Mat. no remo- te a pri. to. 2. + al. in- conueni- tia.

¶ 2 Praterea, Causa in quolibet genere est po- rior. Sed gula videtur esse causa aliorum peccatorum: quia super illud Psal. 135. Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, dicit * glos. Luxuria, concupiscen- tia, superbia, sunt ea que primo venter generat. Ergo gula est grauissimum peccatorum.

est glos. Casiod. in hoc lo- co.

¶ 3 Praterea, Post Deum homo debet seipsum maxime diligere, vt supra habitum est. Sed per vitium gula homo infert sibi ipsi nocumentum. Dicitur enim Eccl. 37. Propter crapulam multi obierunt. Ergo gula est maximum peccatorum, ad minus prater peccata que sunt contra Deum.

SED contra est, quod vitia carnalia, inter que computatur gula, secundum * Gregorium, sunt mino- ris culpa.

li. 37. Mo- rals. 11. parum an- te med. ad sensu.

RESPONDEO dicendum, quod grauitas alicuius peccati potest tripliciter considerari. Primo quidem

& principaliter secundum materiam, in qua peccatur. Et secundum hoc, peccata quæ sunt circa res diuinas, sunt maxima. Vnde secundum hoc, vitium gula non est maximum. Est enim circa ea quæ ad sustentationem corporis spectant. Secundo autem ex parte peccantis. Et secundum hoc, peccatum gula magis alleuiatur, quàm aggrauatur: tum propter necessitatem assumptionis ciborum, tum etiam propter difficultatem discernendi & moderandi id quod in talibus conuenit. Tertio verò modo ex parte effectus consequentis. Et secundum hoc, vitium gula habet quamdam magnitudinem, in quantum ex ea occasionantur diuersa peccata.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa pena referuntur magis ad vitia quæ sunt consecuta ex gula, vel ad gula radicem, quàm ad ipsam gulam. Nam primum homo expulsus est de paradiso propter superbiam, ex qua processit ad actum gula. Diluuium autem & pena Sodomorum, sunt inducta propter peccata luxurie procedentia ex gula occasionaliter.

Ad secundum dicendum, quòd ratio illa procedit ex parte peccatorum, quæ ex gula oriuntur. Non autem oportet quòd causa sit potior, nisi in causis per se. Gula autem non est causa illorum vitiorum per se, sed quasi per accidens & per occasionem.

Ad tertium dicendum, quòd gulosus non intendit suo corpori nocumentum inferre, sed in cibo delibetuari. Si autem nocumentum corporis sequatur, hoc est per accidens. Vnde hoc non directè pertinet ad grauitatem gula; cuius culpa tamen aggrauatur, si quis corporale detrimentum incurrat propter immoderatam cibi sumptionem.

717

I. 2. q. 71
a. 9. con.
¶ ad 3.
¶ 4. dis.
19. q. 3.
ar. 4.

ARTIC. IV.

Vtrum conuenienter species gula distinguantur secundum has quinque conditiones: praeproperè, lauitè, nimis, ardentè, studeisè?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter species gula distinguantur à Grego.

30.

30. Moral. * dicit, Quinque modis nos gula vitium tenet. Aliquando namque indigentia tempora preuenit, aliquando lautiores cibos querit, aliquando quæ sumenda sunt, præparari accuratius appetit, aliquando in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectiois excedit, aliquando ipso actu immensi desiderij aliquis peccat. Et continentur in hoc versu,

ca. 17. a princ.

Præpropere, lautè, nimis, ardenser, studiosè.
Prædicta enim diuersificantur secundum diuersas circumstantias. Sed circumstantia cum sint accidentia, actuum, non diuersificant speciem. Ergo secundum prædicta non diuersificantur species gulæ.

¶ 2 Præterea, Sicut tempus est quædam circumstantia, ita & locus. Si ergo secundum tempus vna species gulæ accipitur, videtur quod pari ratione secundum locum & alias circumstantias.

¶ 3 Præterea, Sicut temperantia obseruat debitas circumstantias, ita etiam & alia virtutes morales. Sed in vitijs, quæ opponuntur alijs virtutibus moralibus, non distinguuntur species secundum diuersas circumstantias. Ergo nec in gula.

SED contra est verbum Greg. inductum*.

Ibidem. ar. 1. huiusmodi quas.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum * est, gula importat inordinatam concupiscentiam edendi. in esu autem duo considerantur, scilicet ipse cibus, qui comeditur; & eius comestio. Poteest ergo inordinatio concupiscentiæ attendi dupliciter. Vno quidem modo, quantum ad ipsum cibum, qui sumitur. Et sic quantum ad substantiam vel speciem cibi querit aliquis cibos lauros, idest pretiosos. Quantum ad qualitatem, querit cibos nimis accuratè præparatos, idest, studiosè. Quantum autem ad quantitatem, excedit nimis in edendo. Alio verò modo attenditur inordinatio concupiscentiæ quantum ad ipsam summptionem cibi, vel quia præuenit debitum tempus comedendi, quod est præpropere; vel quia non seruat modum debitum in edendo, quod est ardenser. Iisdem* verò comprehendit primum & secundum sub vno,

elicitur ex lib 2. de sum. bono c. 22 non procul a fin. c. 42.



dicens, quòd gulofus excedit in cibo fecundum quid, quantum, quomodo, & quando.

Ad primum ergo dicendum, quòd corruptio diuerfarum circumftantiarum facit diuerfaspecies gulae, propter diuerfa motiua, ex quibus moralium fpecies diuerfificantur. In eo enim qui quatit lautos cibos, excitatur concupifcentia ex ipfa fpecie cibi. In eo uerò qui præoccupat tempus, deordinatur concupifcentia propter impatientiam moræ. Et idem patet in alijs.

Ad fecundum dicendum, quòd in loco & in alijs circumftantijs, non inuenitur aliud differens motiuum pertinens ad uſum cibi, quod faciat aliam fpeciem gulae.

Ad tertium dicendum, quòd in quibufcumque alijs uitijs diuerſæ circumftantia habent diuerfa motiua, oportet accipi diuerfas fpecies uitiolorum fecundum diuerfas circumftantias. Sed hoc non contingit in omnibus, ut fupra dictum eft.

ARTIC. V.

Virum gula fit uitiolum capitale?

ad 2. ar
gum. &
1.2.4.72
art. 9.

718
Mal q 8.
a 1. con.
10 3 &
ad 9. &
9.13.2.3
con. &
9.14.2.4

Ad quintum fic proceditur. Videtur, quòd gula non fit uitiolum capitale. Vitiolum enim capitale dicitur, ex quibus alia oriuntur fecundum rationem caufe finalis. Sed cibus circa quem eft gula, non habet rationem finis: non enim propter fe quatitur, fed propter corporis nutritionem. Ergo gula non eft uitiolum capitale.

¶ 2 Præterea, Vitiolum capitale aliquam principalem litatem habere uidetur in ratione peccati. Sed gula non competit gula, quia uidetur eſſe fecundum genus minimum peccatorum, utpote plus appetit quans ad id quod eſt fecundum naturam. Ergo gula non uidetur eſſe uitiolum capitale.

¶ 3 Præterea, Peccatum contingit ex hoc, quòd aliquis recedit à bono honeſto, propter aliquid utile præſenti uitæ, vel delectabile ſenſui. Sed circa bona qua: habent rationem utilis, ponitur vnum tantum uitiolum

vitium capitale, scilicet auaritia. Ergo & circa delectationes videtur esse ponendum vnum tantum vitium capitale. Ponitur autem luxuria, quæ est maius vitium, quàm gula, & circa maiores delectationes. Ergo gula non est vitium capitale.

SE D contra est, quod Gregor. 31. Moral. * computat gulam inter vitia capitalia.

lib. 31. c. 31.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est *, vitium capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur secundum rationem causæ finalis, in quantum scilicet habet finem multum appetibilem. Vnde ex eius appetitu homines prouocantur multipliciter ad peccandum. Ex hoc autem aliquis finis redditur multum appetibilis, quod habet aliquam de conditionibus felicitatis, quæ est naturaliter appetibilis. Pertinet autem ad rationem felicitatis delectatio: vt patet in

1. p. q. 84. art. 4.

primò, & decimo Ethicorum *. Et ideo vitium gulæ, quod est circa delectationes tactus, quæ sunt præcipuæ inter alias, conuenienter ponitur inter vitia capitalia.

c. 8. & 3. & sequ.

Ad primum ergo dicendum, quod ipse cibus ordinatur quidem ad aliquid sicut ad finem. Sed quia ille finis, scilicet conseruatio vitæ, est maximè appetibilis, quæ sine cibo conseruari non potest: inde etiam est quod ipse cibus est maximè appetibilis. Et ad hoc ferè totus labor humana vitæ ordinatur, secundum illud Eccles. 6. Omnis labor hominis in ore eius. Et tamen magis gula videtur esse circa delectationes cibi, quàm circa cibos. Propter quod, vt Augustinus dicit in libro de vera religione *, Quibus vilis corporis salus est, malunt vesci, in quo scilicet delectatio est, quam saturari. Cum omnis finis illius voluptatis sit non sitire atque esurire.

c. 53. circa princ. tom. 1.

Ad secundum dicendum, quod finis in peccato accipitur ex parte conseruacionis. Sed grauitas peccati accipitur ex parte auersionis. Et ideo non oportet vitium capitale, quod habet finem maximè appetibilem, habere magnam grauitatem.

Ad tertium dicendum, quod delectabile est appetibile secundum se. Et ideo secundum eius diversitatem ponuntur duo vicia capitalia, scilicet gula, & luxuria. Utile autem ex se non habet rationem appetibilis, sed secundum quod ad aliud ordinatur. Et ideo in omnibus utilibus videtur esse una ratio appetibilitatis. Et propter hoc circa huiusmodi non ponitur, nisi vnum vitium capitale.

ARTIC. VI.

Utrum conuenienter assignentur gulæ quinque filie, scilicet inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis circa intelligentiam?

719
Mal 9. 4.
art. 4.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter assignentur gulæ quinque filie, scilicet inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis circa intelligentiam. Ineptum enim lætitia consequitur omne peccatum, secundum illud Prouerbiorum 2. Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Similiter etiam hebetudo mentis inuenitur in omni peccato, secundum illud Prouerb. 14. Errant qui operantur malum. Ergo inconuenienter ponuntur filie gulæ.

¶ 2 Præterea, Immunditia, quæ maximè conuenit gulæ, videtur ad vomitum pertinere, secundum illud Isai. 28. Oes mensæ repletæ sunt vomitu, sordibus. Sed hoc non videtur esse peccatum, sed pena peccati, vel etiam aliquid vile sub consilio cadens, secundum illud Eccl. 31. Si coactus fueris in edendo mulcum, surge à medio, & vome, & refrigerabit te. Ergo non debet poni inter filias gulæ.

¶ 3 Præterea, Isidor. ponit scurrilitatem filiam luxuriæ. Non ergo debet poni inter filias gulæ.

lib. 31. c. 31.

SED contra est, quod Gregor. 31. Moral. hæc filias gulæ assignat.

a. 2. c. 3

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est, gula propriè consistit circa immoderatam delectationem, quæ est in cibis & potibus. Et ideo illa vitia inter filias

filias gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi & potus consequuntur. Quæ quidem possunt accipi vel ex parte animæ, vel ex parte corporis. Ex parte autem animæ quadrupliciter. Primo quidem, quantum ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi & potus. Et quantum ad hoc ponitur filia gulæ hebetudo sensus circa intelligentiam, propter fumositates ciborum perturbantes caput: sicut è contrario abstinentia confert ad sapientiæ perceptionem: secundum illud Ecclesiast. 2. Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam. Secundo, quantum ad appetitum, qui multipliciter deordinatur per immoderantiam cibi & potus, quasi sopito gubernaculo rationis. Et quantum ad hoc ponitur inepta lætitia: quia omnes aliæ inordinatæ passiones ad lætitiã & tristitiã ordinantur, ut dicitur in 2. Ethic. * Et hoc est quod dicitur 3. Esdræ 3. quod vinum omnem mentem conuertit in securitatem & iucunditatem. Tertio, quantum ad inordinatum verbum. Et sic ponitur multiloquium: quia ut Gregorius dicit in Pastoralis *, Nisi gulæ deditos immoderatæ loquacitas raperet, diues ille qui epulatus quotidie splendide dicitur, in lingua grauius non arderet. Quarto, quantum ad inordinatum actum. Et sic ponitur scurrilitas, id est, iocularitas quædam proueniens ex defectu rationis: quæ sicut non potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus. Unde ad Ephef. 5. super illud, Aut stultiloquium, aut scurrilitas: dicit * gloss. quod à stultis curialitas dicitur, id est iocularitas, quæ risum mouere solet. Quamuis possit vtrumque horum referri ad verba, in quibus contingit peccare: vel ratione superfluitatis, quod pertinet ad multiloquium; vel ratione inhonestatis, quod pertinet ad scurrilitatem. Ex parte autem corporis ponitur immunditia: quæ potest attendi siue secundum inordinatam emissionem quarumcumque superfluitatum; vel specialiter quantum ad emissionem semi-

c. 5. 10. 5.

p. 2. c. 20. in prin.

gl. interl. ibid.

feminis. Vnde super illud Ephes. 5. Fornicatio autem & omnis immunditia, &c. dicit gloss. id est, incontinentia pertinens ad libidinem quocumque modo.

Ad primum ergo dicendum, quod læritia quæ est de actu peccati, vel sine, consequitur omne peccatum, maxime quod procedit ex habitu. Sed læritia vaga, incomposita, quæ hic dicitur inepta, præcipue oritur ex immoderata sumptione cibi vel potus. Similiter etiam dicendum quod hebetudo sensus quantum ad eligibilia, communiter inuenitur in omni peccato. Sed hebetudo sensus circa speculabilia, maxime procedit ex gula, ratione iam dicta*.

in co. ar.

Ad secundum dicendum, quod licet utilis sit vomitus post superfluum comestionem, tamen vitiosum est quod aliquis huic necessitati se subdat per immoderantiam cibi vel potus. Potest tamen absque culpa vomitus procurari ex consilio medicinæ, in remedium alicuius languoris.

Ad tertium dicendum, quod scurrilitas procedit quidem ex actu gulæ, non autem ex actu luxuriæ, sed ex eius voluntate. Et ideo ad utrumque vitium potest pertinere.

QVÆST. CXLIX.

De sobrietate, in quatuor articulos diuisa.

Debinde considerandum est de sobrietate & vitio opposito, scilicet ebrietate.

- ¶ Et circa sobrietatem quærentur quatuor.
- ¶ Primo, quæ sit materia sobrietatis.
- ¶ Secundo, utrum sit specialis virtus?
- ¶ Tertio, utrum vsus vini sit licitus?
- ¶ Quarto, quibus præcipue competat sobrietas.

ARTIC. I.

Utrum materia sobrietatis sit potus?

720
*sup q. 143
cor prin.*

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod materia propria sobrietatis non sit potus. Dicitur enim ad Rom. 12. Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Ergo sobrietas est etiam circa sapientiam, & non solum circa potum.

¶ 2 Præ-